Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum Tractatuum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias Examinis Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem, præsertim Religiosis accommodatum

Drużbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066413

3. Ex parte aliorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45441

Visual Library

bentis. Vel è contra, præpropera anticipatio, feſtina expeditio, inordinata ex metu non ſuffecturi temporis, præmaturaque transactio, cum neglectu ſolitarum obſervationum. 19. Amaritudines animi ex apprehenſionibus, recoctionibus malorum, injuriarum, impedimentorum, moleſtiarum, præſentium, vel præteritarum, ex præſagitionibus futurarum. Unde melancholiæ, propoſita vindictæ, dialogiſmi interni, vel etiam cum certis conſciis, æquè amarulentis, reſolutiones conditionatæ, parum ſanæ. Hinc propoſita, & deſignationes in futurum, prævisæ excuſationes, replicæ, rationes, imaginarii eventus rerum, ex quibus triſtitiæ, dejectiones mentis, &c.

3. *Ex Parte aliorum.*

1. Rationes humanæ timentes, ſperantes, differentes, diſſimulantes, pudorem incutientes. 2. Servitium alieno guſtui, amori, timori, ſpei, commodo, (non propter Deum) impenſum, tam commiſſivè, quàm omiſſivè. 3. Blanda tractatio alieni delicti, diſſimulatio, defenſio. 4. Fuiſſe occaſionem ut quis in ſpem amicitiæ meæ peccaverit, peccet, ſperans à me præſidium, non timens reprehenſionem, aut pœnam.

4. *Ex Parte hujusmet Examinis.*

1. An ſupra ſcripta vitaverim, & cur non? 2. An ſuper ea Examen ſtatis temporibus fecerim? 3. Quibus mediis præſtare poteram, nec præſtiti? 4. Quibus in poſterum præſtare potero, & præſtabo? 5. Deſignabo ordinem, tempora, vices, occaſiones præſtandi, & modos. 6. Dolebo de negligentia præterita, eamque puniam.

niam.